…tophorus
…iriensis

Racki Ioannis: Posthuma honorum Mnemosyne in funere Christoph. Ossolinski.

POSTHVMA
HONORVM
MNEMOSYNE

In Funere

ILLVSTRISSIMI olim DOMINI,

D. CHRISTOPHORI
à TĘCZYN
OSSOLINSKI

PALATINI SANDOMIRIENSIS, &c. &c.

Optimi Ciuis Patriæ, & Senatoris
longê meritissmii.

A

M. JOANNE RACKI, Collegij Vladislauiani Poëseos Nouoduorsc: Professore.

Lugubribus Camœnarum Threnis in Lucem
publicam

EXCITATA.

Anno à Partu Virginis 1645. 10. Aprilis.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Martini Philipowski.

IN ARMA GENTILITIA, VETVSTISSIMÆ STIRPIS OSSOLINIORVM.



Pallada quæsierat, quærens vbicunque latentem
ASCIA, forté Iouis diuidit ante caput.
Nunc OSSOLINIVM sociâ cum Morte petiuit:
Impia fortaſsis? Non. Ibi Pallas erat.

ANDREAS SIERAKOWSKI
Stud: Poëſeos.

ALIVD.

Arma Virumq́ videns Acieſq́ Gradiuus; ab Hæmo
Exilit. atq́ aciem lustrat & ipſe ſuam.
Sed Topororum cernens bellare Secures
Has ait has Acies, Arma Viroſq́ probo!

MICHAEL ZOLKIEWSKI
Stud; Poëſeos.

Illustri ac Magnifico Domino,

D. CHRISTOPHORO

BALDOVINO à TECZYN

OSSOLINSKI

Palatinidæ Sandomiriensi, Stobnicensi, Robczycensi, &c. &c.

CAPITANEO.

Domino Domino & Patrono Colendissimo.

F. P.

ACerrimi doloris spectaculum, cuius Magna pars es Illustr: & Magnifice Domine, posthumus hic nostrûm omnium ad Te deproperat, luctus Tu Paterni nominis Executor vnicus, Heroicarumque eius virtutum hæres ex asse; lectissimus fuisti: Tibi fleuerunt, vel tecum potiùs hæ Camænæ, qui meritissimum Parentem, non tàm ex oculis sublatum; quàm ad animum translatum, recolligens quotidie, Nobis etiam dolorem hunc, Tuæ Pietatis, erga illum Teste, cumulatissimè repræsentas.

 Verùm

Verùm tantò æquiùs doleas necesse est, quòd non solus: Cum bonis enim Regni huius Ciuibus & vniuersa Patria dolorem diuisisti, cui æquè atq; Tibi grauissimus olim Senator CHRISTOPHORVS OSSOLINSKI Pater fuit: Hoc tantummodo Patriâ dolentior es, quòd Tu Patrem, sine repetendi spe, amiseris, illa, quod in Patre amisit, in Te Filio suo, id repertum, abundè recuperat. Quod reliquum est; perge Illustr: ac Magnif: Dñe vt cœpisti, ZBIGNEORVM, & CHRISTOPHORORVM Auita Nomina, an Numina veriùs? Tuæ Poloniæ exhibe: Nimiùm quàm Fælix Patria sibi videtur, quoties hæc omnia, præsenti mærore pullata, per Te in lucem publicam exoritura, præsagit. Inuidet etiam Nationibus exteris, quæ Te nuper, à Laribus domesticis, ex suis amoribus rapuerant vt bearentur: at postquam postliminiò reducem Te aspexit, suspexit; Auitisq; Honoribus ornare; vt mereris; contendet. Ibis Illustr: ac Magnif: Dñe, de Honore in Honorē: Ibis ad Trabeas, Paludamenta, Curules, Gentilitiâ Tuâ Asciâ, viam Tibi expeditam, sternente; ad amplissimas, quæ Te in Repub: expectant, dignitates ibis. Deus interim Opt: Max: adultas Spes Nostras, & Reipubl: benè ominātis vaticinia, confirmet & adaugeat, vt Te Religio Paterna Christophorum, Polonia Ossolinium, Academia suum olim Baldouinum experiatur. Ita auguror & opto.

Tuæ Illustr. & Magnif: Dominationis

deditissimus & ad obsequia paratus

IOANNES RACKI, Art: Magister
& Philos: Doctor, Collegij Vladisl.
Poëticæ Nouodu. Professor.

VATES.

ABsiste muto Phœbe silentio:
Iam feriatum tendere barbiton
Coegit vsus, iam virescit
Vere, suis Helicon Camœnis.
Auditis? ô quàm (proh dolor) ominis
Inauspicati, prima cadentibus
In verba lymphis, verba, questus
Audijt, & modulatur Hebrus!
Amœnitatis Sarmaticæ Pater
Discessit: eheu! cessit in abdita
Sepulchrá terrarum: Polonis
Non iterum rediturus oris!
Intrauit altam iudicij domum,
Sententiarum triste senaculum,
Illamque Maiestatis arcem
Elisijs capit in Triumphis.
Hem! veris instar, vultus vbi illius
Affulsit, exnunc ritè Curulibus
Manes salutatum receptant
Sidereis venerando votis!
Iamiam beati: vester in ætheris
Discessit aulam: viuere pulchriùs
Incepit: Oratorque cælo
Pro Patria dabit elocutus.

B Gratum

Gratum Tonanti Carmen, & annuente
Responsa votis: scilicet aspicit
Cælos, & euagatur astris,
Lechiacum speculatus orbem.
At mæsta tandem patria lugubres,
Planctus, querelas ingeminat suas;
Sæuosque singultans dolores.
Raptor Olympe (refert) virorum!
Et orbitatis causa (gemit) meæ
Cur inquieto perfidus impetu!
Furaris OSSOLINIORVM
Grande iubar, Patriæq; sydus!
Ergò potenti sic placitum Ioui?
Sic optimorum seligit agmina,
Adulta virtuti, & minores
Spernit humi, residesue temnit!
Exhinc querentes funera, Næniæ,
Luctus & adsint, & querimoniæ
Testentur, immanem imperantûm
Inuidiamq; fleant polorum!
Queìs paret orbis, cunctaque flumina,
Queìs lux, & iuuisi horrida Tænari
Sedes, Atlantæusque finis
Concutitur: polus ima summis
Infert, & insignem eripiet virum!
Obscura linquit! Dicite, dicite,
Narrate, vicatim exprobrate
Pegasides, Patriæq; chordis
Lenite planctus intolerabiles:
Discant abuti lege potentiæ.
Adeste Musæ: vmbram sequamur
Tristibus (en latitat) Cupressis.

Christo

I.

Christophorum video ferali exire pheretro.

ADES SPECTATOR,

Mors est quæ de animis verum dicit.

Illustrissimus olim Dominus,

D. CHRISTOPHORVS à TECZYN OSSOLINSKI,

Honoribus Patriæ sustentandis, adultus Atlas,
Lumine virtutum Auitarũ Ciuis maxime Illustris,
Tandem in Regionem vmbræ Mortis diuertens,
pullatâ Libythinæ atratus caligine,
transmisit, non amisit, vitæ Heroicæ
SPLENDORES.

Sic CHRISTVS ferentibus & quærentibus se,
Seruus seruorum suorum à Patre constitutus,
in vrnam quoq; opera eorum secuta
magnificum merentibus comitatum destinauit.
Quidni destinasset CHRISTOPHORO?

Is Tu demum Illustrisime Domine fuisti, quem nunquam Patria respexit; quin suspiceret: nunquam suspexit; quin Religionis, Pietatis, Zeli, & cultus Diuini exemplar perspexerit. Magnos olim & Maximos, Veros, Pios, Augustos, Pertinaces, Romana suspexit antiquitas: in Te vel Censore Orbe Poloniarum, præsaga fati venturi lusit Parca; dum antequam quidquam fieret, in Auita stirpe Christophorum Te, in orbem progenuit, omen Magnis Christi baiulis non absimile: quod magisne nomine, an re, an verius vtroque, vsque ad augem consistentiæ impleueris, dubitet

bitet

bitet ille, qui Tuæ ASCIÆ Gentilitiæ, in exſcindendis hæreſibus, & plantanda Chriſti Eccleſia, laborem & ædificium ignorat. Nobis vt nominis eius magnitudinem ſuſpicari; ita ad poſterorum memoriam, in Faſtos immortalitatis, aliquid ex tot tantisq; Tuis geſtis referre, æquum eſt. Audi Poſteritas! commoda aurem virtutibus, quarum imitatrix eſſe ſolicita teneberis! Illuſtriſsimus olim CHRISTOPHORVS OSSOLINSKI, Vir authoritatis ſummæ, candoris præcipui, humanitatis ſingularis, zeli incredibilis, per Tribunalia, Comitia, Comitiola, Chriſtophorus cum eſſet vbique, Chriſtum priuatim ardentiſsime dilexit: publicè vindicauit, ſemper aſſeruit, etiam cum ſui nominis inuidia, mori, armariq; pro eius gloria paratior, quàm diſpar ſuo nomini (quo ſemel Athleta Chriſti initiatus erat) reperiri, eſſe, & videri maluit. Nouit Racouia quid loquamur, non obliuiſcetur Opatouia, quod prædicamus. Conuentus Regni & Curiæ, Lublinenſes & Varſauienſes Areopagi; Parietes ipſi, in Deum amorem, in Diuos Indigetes cultum, in Patriam pietatem, teſtabuntur. Stobnicenſe Cænobium, ad Religionis propagandæ ſtudium, & eradicandam impietatem vtrinque ſerpentem, ad celebrandas Diuinitati, nocte dieq; laudes, è fundamentis erectum, illius Magni Chriſti & Eccleſiæ Atlantis memoriam celebrabunt. Ne parum arbitreris Chriſtum, per Fora, & Conuentus Regni tuliſſe, niſi Antichriſti prodromos ſectatoresque ſuſtuliſſet (ô rarum pro Chriſto zelatorem!) Krzelouiam hæreſeon latibulum, impietatis domicilium, ad Chriſtum crucifigendum alterum Arrianis Caluariæ locum, Krzelouiam inquam, ſolius Dei amore, cui totus adhæſerat, nullo ſibi in terris vſu fructu quæſito, ſolum ibi inuenturus vitæ theſaurum vt eradica-

dicaret, ex eius latifundiis Hæreticæ prauitatis, zizania, emit, emptam (quis crederet fieri vnquam potuiſſe) poſt expenſa tot nummorum millia, ſine ſpe recipiendi in terris, aduitalitios ſumptus aliјs concesſit, ſibi æternitatē reliquit, dignus, qui in perpetuas æternitates Krzelouiam de pinguedine Terræ, & rore Cæli fructificantem vidiſſet, niſi verius, in beata æternitate, commutans in ſolidum æternitatem, cum Chriſto, perennare maluiſſet. Leuem æſtimas Religionis promouendæ zelum? Cognoſce, quæ ſequuntur: noſtris etiam ſæculis, Regnum Cælorum vim pati, & noua Gygantomachiâ Heroum expugnabilie eſſe affirmabis, quod Illuſtriſs: CHRISTOPHORVS OSSOLINSKI, inter ſpolia ſuorum laborum, victor rapuit; cum omni meliori modo præcauiſſet, ne eius quondam Eccleſiæ, ad poſteros, proſtitutionem Religionis paterentur. Dubitabis? Atttende quid fecerit. Si & in quantum ritus Catholici Iwániská quauis poſteritatis incuriâ ad Succeſſores Hæreticos deuoluerētur: Eccleſiam eius Oppidi, cum iure Patronatus Academiæ Cracouienſi, vt euincantur eius immunitates, incorporauit & inſcripſit. Optimus Almæ huius Matris Fautor & Patronus, qui pietatem, quam in Academia, Schola Regni Generali didicit, eandem poſthumā in manus, vnde acceperat, reſignauit. Cuius beneficii non immemores Vladislaides Muſæ, pauliſper Oratione conſiſtere iuſsâ, Religionis Auitæ vindici fortiſsimo: Chriſtianæ veritatis Protectori fauentiſsimo, Tutelari oppreſſorum ac Patrono Optimo Carmen debitum accinemus,

CHRISTOPHORVS à CHRISTO SVBLATVS.

NVnquam marmoreo Pietas inclusa sepulchro
Fouente subter delitescit funere.
Viuit & ignaui, temnit discrimina lethi
Nec Portitoris scandit inferei Ratem.
Occidit, occideritq́ sinas, cum stamine vita
Fortuna fallax, ius in hanc ratum tenet.
Sed tamen Auspiciis si cûi melioribus Annos
Regina virtus si cui ordinauerit:
Viuet hic, egregiis Obitus non officit ausis
Nec Lachesis atra hunc falce Libythinæ dabit.
Sic en Christophorus virtute per ethera fertur,
Assecla pietas firmat abeunti gradum
Quà Ganymedæos signat via præuia gressus.
Hac ille Christi Portitor cælos petit,
Reddit inexhaustam illi Munificentia Gazam,
Religio pone dexteram latus t[illegible]
In vita quas fudit opes, Opulentia Diuûm
Benigniore Copiæ cornu refert:
Nil perit in cassum: redeunt cum fenoræ merces,
Quas nuper Orbe misit, ad Cœlos, ab hoc:
Miratur! tantinè fuit: terrestria, Cæli
Mutare donis! sicnè compensant Dii!
O si consimili superi capitolia templi,
Corpore soluto Lechiadæ scandere libet!
Christum portantes cælos tentare licebit;
Christum ferenti libera aditu fit via.

II. *Cerno*

II.

Cerno OSSOLINIÆ Gentis decus esse recisum.

DOLE.

Quisquis Rempublicam vel virtutem amas
Grande vtriusque lumen & columen cecidit.

Illustrissimus olim D. Dominus,
á TECZYN
OSSOLINSKI.

Natalibus, meritis, virtutibus,
Summis quibusque par:
Ingentibus Ausis & Factis
Patriæ suæ, totiq; Europæ clarissimus;
Viuus, subditorum suorum Fælicitas,
Mortuus, omnium Lachrymæ,
FVTVRVS.
Vtinam natus immortalis fuisset.
O raró concessa mortalibus diuturna bona!
Inexorabiles illæ & parcæ fatorum Deæ!
Quæ vltra mortalitatis terminos, neutiquam
terminum prorogant, quin omnes geneosioris
vitæ rationes, & ornamenta familiarum
rogo tandem infarciant & comburant!

Iam eó Te euexerunt Illustrisime Domine virtus & fortuna Heroica, vt ad maturitatem honorum, & dignitatum perfectionem, sola in Te desideraretur perennitas. OSSOLINIÆ Stirpis adultus in Patria Surculus, cùm esses. Teczyniano iterum implantatus viridario, &

 quid

quid tandem aut maius ſperare? aut excellentius optare potuiſſes? Non percurrentur ſingula, quæ cùm ſingularia ſint, non modô numerari non poſſunt ſed vetuſtatis fidem etiã fatigarũt. Ibi à plurimis annorũ Centuriis, quà Sago, quà Togâ florentes & paludati Duces, ibi gloria, ibi fortunæ, ibi omnis amplitudo conſtitit, ibi poſterorũ quædam cum ætate currens æuiternitas ſibi fixerat, domicilium: Regio lateri perpetuô aſsiſtere, ad ſacram eius eſſe aurem, Auguſtæ Regni Maieſtati quâ publicè, qua priuatim præire, Roſtra & Caſtra, pro libertate & Regni cuſtodia moderari; Senatoriæ Purpuræ eſſe Reges, huius Familiæ hæreditaria quodammodo fuerunt ornamenta. An cum his primô Polona gens; an per hos ſurrexerit? Antiquitatis arcanum eſt. Illud certum, ante humanitatis in Polonia originem, Topororum Aſcia, libertatis fundamenta dedolauit, ab ingeniis ruditatem â moribus rubiginem, â uita barbariem abraſit; verbo complectar, Palladem è Cerebro uetuſtatis formauit, vel Diuinâ Palladis arte Poloniam reformauit. Annalium Fidem deſideras? Non commemoretur vetuſtiſsimorum STRAZONVM pro Aris & Focis expreſſa cuſtodia: taceatur NICOLAI OSSOLINSKI ſapientia, quâ cum Diuo noſtro Iagiellone Lithuaniam Regno & DEo vindicauit: MARTIANI Capitanei Krzeſzouien: fortitudo: HIERONYMI Caſtellani Sandomirienſis iuſtitia; ſexcentorumq; aliorum Heroica vel Diuina geſta omittantur. An ZBIGNEVM OSSOLINSKI Palatinum Sandomirienſem, Parentem Tuum quiſquam ignorat? Nullum ſine illo firmum in Senatu conſilium, nullum abſq, illo bellum perfectum, nulla vnquam pax, niſi per illum ſtetit, eo, tanquam Atlante Cœlum, Reſpublica nitebatur. Etiamnum

dubitet;

dubitet aliquis ſi poteſt; iurene Pater & Conſeruator Patriæ, â D. SIGISMVNDO III. appellatus fuerit, cûm Te pro illo Geryonem quendam ſemptentrioni noſtro productum eſſe agnoſcit. Nulli Scipiones, nulli Naſicæ, Metelli nulli, nullus Neſtor vel Vlyſſes, antiquitati tantûm profuerunt, quantùm Vos: Vos inquam Triumuiri præſtitiſtis. Omiſsis nunc maioribus: MAXIMILIANVS OSSOLINSKI. S.R.M. Cuſtos, & laborũ Theſaurarius, quo Catone tandem vel Fabio inferior? Non hoc dicam, quantâ polleat prudentiâ, quo conſilio, quâ auctoritate, quàm ſit magnus in literis, firmus pro veritate, offenſionum pro Eccleſia, & publica vtilitate impauidus: Omnes enim iſta norunt, quicunq; hunc norunt. GEORGIVS verò OSSOLINSKI Supremus Regni Cancellarius diu votis concupitus, an non magnificentior ac neruoſior Tullio? an non Orbis Chriſtiani Caduceator admirandus? cui ad amplitudinẽ honorum in Patria, exteri Principes, certatim ornamenta ingerebant nolenti? Equidem cõprobauit euentus illius oraculum, quiſquis dixerat, cùm planè triumphantem, in Vrbe Orbis Regina, agnouiſſet; ſi ſex præterea tales (Idæa) tuliſſet Terra Viros, confeſtim vt quondam Orbis domitor magnus ille audiuiſſet. Aliud Tibi Fili mi Regnũ quære, iam Te Macedonia non capit. Sed nunc vanum eſt, vmbratili hac Camœná Illuſtriſsimi olim OSSOLINSKI coarctare Decora velle, tota hoc mirabitur poſteritas, & nulla vnquam ætas de ĳs laudibus conticeſcet. Nunc etiam tantum decus, ingrato obruere ſilentio iniquum iudicantes Vladiſlaides Muſæ; & ad OSSOLINIANÆ mortalitatis, in hoc Sarcophago Depoſitum, debitæ venerationis ergò, concinentes leſſum, exclamant: Viues & viues Illuſtr: CHRISTOPHORE

OSSO-

OSSOLINSKI, viues, Christo, cuius fortisimus Atlas fuisti in terris, vitam Tibi immortalem, suppeditante in Cœlis: Hoc Tibi Religio in Deum: hoc Pietas in Patriam: hoc denique Tua & Tuorum merita amplissima pollicentur.

OMEN IMMORTALITATIS.

LAudata virtus si redit ad genus
Nomenq; riuo fons dat honestius,
Haud mortale sonantem
Vates Christophorum puto.
Ex quo Poloni Conditor ImperI
Longæua Lechos viuere sæcula:
Iussit Regius Auspex:
Exhinc ASCIA posteris
Perennè struxit Christophori decus
Non desiturum turbine temporum.
O laus prima, Polonum
Regno viuere compari!
At nec secundas poscit adoreas,
Florere magnis semper honoribus;
Summum; Ossoliniorum
Increuisse sacrariis.
Quis Sarmatarum nesciat Hectoras
Solo æstimandos, nomine Sieciechi?
Solem nesciat orbis
Effulgere perenniter?
O si furentem sic Lachesim ASCIA
Vincas: nec vltra fata moraberis!
Ex hinc Stemmatis huius
Terræ Semideos voco.

Specto

III.

Specto Palatinas hebetari à Morte secures.

STA HOSPES,

Mortis iudicium ne tempseris vnquam,
Cum, omnia ementitis Coloribus,
Extenuent veram Rerum magnitudinem,
in variabili sublunarium decremento:
Mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula.

Illustrissimus olim Dominus,

D. CHRISTOPHORVS
à TECZYN
OSSOLINSKI,
Palatinus Sandomiriensis, Volbramen: &c.
CAPITANEVS.

Verè Maximis certare potest
qui de suo, etiam post Mortem, Magnus est.
Nihil illi casus, nihil adulatrix apposuit Opinio,
Leuitatis illam cæcutientem Diuam, adeò meritis constri-
ctam coëgit; vt quæ in aliis fortuitò vagabatur,
Commutatâ in melius leuitatis constantiâ
FACVLTATES, HONORES, GRATIAM, AMPLITVDINEM.
Cæteraque Fortunæ dispensantis Bona
Hæreditario succesionis iure
OSSOLINIIS impertiret.

Nega si potes Christophorum fuisse Patriæ Atlantem.
Qui vniuersi molem, digito virtutis suæ tenentem
Christum, cum Mundo portauerit.

EN AGNOSCE.

A duodecim illis post Lechum Palatinis Regnantibus
continuatâ tot seculis posterorum Historia
OSSOLINIOS propagasse originem.
An non hæreditaria illis Laticlauiæ dignitas purpuræ?
An non Palatinatū tam diuturna possessione præscripserūt?
Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta,
cæteraque Priscorum insignia
Huic Stirpi domestica sunt.
Non tam Anchora Spei Antiocho innascitur;
nec tam purpureus capillus
Niso Megarensi excreuit Regni præscius; quàm
his Secures Amplitudinis Auitæ:
antequam nascantur,
iam ab ijs expectantur.
His per Secures per Fasces numerantur Aui;
Fælicior ille quàm Sylla, beatior quâm Metellus
ZBIGNEVS OSSOLINSKI,
Qui Palatinatum Sandomiriensem auspicatò ingressus
iisdem vestigiis Filios sequi iussit.
Verus Pater Patriæ, cui tot & tantos Senatores effudit,
& quôd omnis mirabitur Posteritas, prope sibi Successores!
Tres vtiq; sunt, qui testimonium dant!

Sed quoniam per Templum Virtutis in Honoris Sacrarium ingresi, fæliciter in Auge splendorum & Amplitudinis Patriæ conquiescunt. Musæ VLADISLAIDES more eorum, qui magnas vrbes ingresi, primùm sacras ædes, & dicata Numini summo delubra adeunt, ad ædem OSSOLINIANI honoris, in perpetuùm cultus & obseruantiæ Mnemosynon, hunc exstruunt Colossum.

✠

D.
O. M.
Illustriss:
Domini Dni
CHRISTO-
PHORI á Tęczyn
OSSOLINSKI Pa-
latini Sandomiriensis,
á Clarissimo Starzone
(ex Duodecim Palatinis
Poloniæ Gubernatoribus)
per longam Præstatissimorum
virorũ seriem, originẽ trahentis.
Zbignei Palatini itidem Sandomir:
& Heduigis de Sięnno Palatinidę Po-
dol. Filii, Hieronymi Castell: Sando-
mir: Nepotis: Pauli Vexilliferi Sand: bo-
norum Hungaricorum Possessoris. Prone-
potis, Iaśkonis Castell: Radomi: VLADI-
SLAI Poloniæ & Hungariæ Regis Tutoris
Abnepotis MORTALE DEPOSITVM
in Habitu Religioso Sancti Francisci compositum,
hoc in Sarcophago quiescit. Qui cúm viueret Deo
præpotente, eiusque Religione Orthodoxa, Regum
salute & gloria, ac Patrię incolumitate, nihil charius
habuit: Dicendi erat Vir Senaroria grauitate, &
salutarium consiliorum, Prudentia, vndequaque affluen-
ti, æquitatis colendæ, & in omnes propagandæ vindex
incorruptus. Quem cùm virtutes eius cunctis amabi-
lem reddidissent, tandem, dum in conuentu Nobilium,
fortiter; acerrimè fidei Catholicæ integritatem, propugnat;
seque itineri, ad Comitia Regni Generalia accingit, Febri subitâ
& acutâ correptus, ad æternam, fælicitatem, brauium, Christiani
certaminis accepturus commigrauit Anno DOMINI, Millesimo Sex-
centesimo Quadragesimo Quinto. Die 24 Februarii, Ætatis Suæ 58.

C. B. A. T. O. P. S. S. R. C. P.
A. M. P. H. D. S. M. P. F.

INSCRIPTIO COLOSSI:

Sto Sub Osoliniis Victurus Honoribus Olim.
Me Pia Mnemosyne; Stare Sub Astra Dedit.
Tu, Quicunque Legis Patriæ Solando Dolores
Dic: Stando Viuens Stando Senator Obit!